

PARADOX. V. Ὅτι μόνος ὁ σοφὸς ἐλεύθερος, καὶ πᾶς ἄφρων δοῦλος.

Solum sapientem esse liberum, et omnem stultum servum.

Cap. I. Laudetur vero hic imperator, aut etiam appelletur, aut hoc nomine dignus putetur; quo modo, aut cui tandem hic libero imperabit, qui non potest cupiditatibus suis imperare? Refrenet primum libidines, spernat voluptates, iracundiam teneat, coërceat avaritiam, ceteras animi labe repellat: tum incipiat aliis imperare, quum ipse improbissimis dominis, dedecori ac turpitudini parere desierit. Dum quidem his obediens, non modo imperator, sed liber habendus omnino non erit. Praeclare enim est hoc usurpatum a doctissimis (quorum auctoritate non uterem, si mihi apud aliquos agrestes haec habenda esset oratio; quum vero apud prudentissimos loquar, quibus haec inaudita non sunt: cur ego simulem, me, si quid in his studiis operae posuerim, perdidisse?) dictum est igitur ab eruditissimis viris, nisi sapientem, liberum esse neminem. Quid est enim libertas? Potestas vivendi, ut velis. Quis igitur vivit, ut vult, nisi qui recta sequitur, qui gaudet officio, cui vivendi via considerata atque provisa est? qui legibus quidem non propter metum paret, sed eas sequitur, atque colit, quia id salutare maxime esse judicat: qui nihil dicit, nihil facit, nihil cogitat denique, nisi libenter ac libere: cujus omnia consilia, resque omnes, quas gerit, ab ipso proficiscuntur eodemque feruntur: nec est ulla res, quae plus apud eum polleat, quam ipsius voluntas atque iudicium: cui quidem etiam (quae vim habere maximam dicitur) Fortuna ipsa cedit, sicut sapiens poeta dixit: *Suis ea cuiquè fingitur moribus.* Soli igitur hoc contingit sapienti, ut nihil faciat invitus, nihil dolens, nihil coactus; quod etsi ita esse, pluribus verbis disserendum est: illud tamen et breve et confitendum est, nisi qui ita sit affectus, esse liberum neminem. Igitur